UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Mauritii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11903

Visual Library

Diſſidia cũ Conrado Lãdgravio.

item cum fratre † ejus Conrado, qui cu
Friderici Cæſaris filiam Agnetem uxore
haberet, nihil ſibi impunè non licere ratu
refractarios Provinciæ Abbates, (*a*) Rei
hartbornenſem præcipuè ſuam in prot
ctionem recepit, continuò ArchiEpiſco
patus in Thuringia reliquias, & in Haſſi
præſertim laceſſivit. Donec & is conjug
mortuâ cum vitæ genere animum muta
ret, atque ordini Teutonico (*b*) ſeſe addi
ceret, cujus poſteà ſupremum magiſteri
um in Boruſſia nactus eſt. Idem Parochi
ale templum † S. ~~Jacobi~~, atque vicinam
ei Teutonicam domum erexit. ArchiPræ
ſul † poſteà Erfurti moritur, (*c*) de cuju
cineribus collegiatæ Eccleſiæ hodiè co
tendunt, nullis monumenti reliquiis li
tem dirimentibus.

Templum S. Nicolai ~~*Jacobi*~~ *exſtruitur.*

Sigefridus moritur Erfurti & ibi ſepelitur.

XVIII.

Hiſtoria de Ludovico comite in Gleichen, qui duas uxores habuiſſe dicitur.

Narratur hujus temporis quædam hiſto
ria, † (*d*) cujus fidem, niſi conſtans à ma
joribus accepta narratio, ipſa etiam mo
numenta confirmarent, vix ullus admit
teret. Saracenorum in Oriente inſolenti
vires Occidentis provocaverat: colligun
tur à Friderico Cæſare copiæ militares:
Ludo-

(*a*) Rivander *ad annum* MCCXXXII. & Chronica alia Thuring. *ubi tamen incredibiles nugas admiſcent.*
(*b*) Rivander *ad annum* MCCXLI.
(*c*) Serarius *in hoc Sigefrido*, & MS. Chron. Petr.
(*d*) chronica Thuringiæ *hoc anno.* Griesheim *Archiſatrapa Eichsfeldiæ peculiarem hujus hiſtoriæ narrationem in ſpem liberationis edidit, dum à Suecis in Cyriacibúrgo captivus teneretur.*

Ludovicus comes de Gleichen belli ſtudiis & pietate flagrans Chriſtianorum exercitum auget, atque ut eſt armorum fortuna fallax, hoſtium terras vix ingreſſus una cum ſuis interceptus eſt, mox diræ ſervitutis mancipium: ſervatus enim in novos indies labores, eoſque gratuitos, niſi quod flagellis rependerentur. Non fuit ſuprà animum calamitas, ſed eo manſit erecto & forti. Juvenilis ætas, pulchritudo colorum, & membrorum proportio, dotes animi commendabant. Aderat eo loci filia Regis Saraceni, hæc in vincula captivi cecidit, ſed amoris. Abfuit omnis ſuſpicio, liberior ideò comiti loquebatur, cum miſericordiæ captivi ſors humanitatem imputaret. Auxit eadem animum Virgini, ut prima vinctum alloqueretur, multa de vita ejus, de patria, ſtemmate, aliiſque ſciſcitata, nec minuit amorem, quod conjugatum audiret, legibus gentis polygamiam non abhorrentibus. Vetus autem ſtemma & opes, præterea miſeria amati, adeo ſuccenderunt amorem, ut occultari amplius non poſſet. Oculorum tela, reſoluta in familiaritatem labia facilè captivo indicarunt ultra miſericordiam aliquid Regis filiam angere. Sed Comes memoriâ Uxoris, & numinis metu retractus cuncta diſſimulavit. Tandem deſideriis, & amore cor Virginis adeo intumuit, ut affectus omnes effunderet. *Es*, ait, *Parentis mancipium*,

*cipium , & cum omnia iſtius mea ſint , meus ſervi
Mutabimus fortunam , ecce me tibi mancipo , tu Reg
næ imperitabis : nec hodie dominatus tuus incipit , ſi
ferrea compedes vix te conſtrinxerant , cum ja
arctioribus longè vinculis me captivaſti. Vt pauc
dicam , amo te , eritq; mihi ſatis vel tecum in comp-
dibus vivere , vel mori ; ſi tamen ad tua reverti , m-
que ſociam felicitatis aſſumere velis , ego liberatri
ero , nemo mihi claves ergaſtuli , vel compedum n-
gabit , fallam deinde per noctem vigiles , & te fœdi
hac ſervitute liberabo , comitabor autem mihi chario
rem patre , & omnibus , quæ relictura ſum. Ecc
mundum hunc , & quæ præterea in Gyneceo habeo
pretio , quam pondere validiora mecum ſumam n-
ceſſitati viæ impendenda.* Attonitus ad hæc co-
mes legem Chriſtianorum objecit , qua
plures ſimul uxores habere ſcelus dicat; re-
liquiſſe autem fidam conjugem , mœſtam
quidem ſed valentem , ut in vivis illam ad-
huc ſperet : vix triennium eſſe , quo eam
velaverit , duabus prolibus interim fœ-
cundam ; de cætero tantâ ſe benevolentiâ
indignum, quam regia ſoboles offerret. Ni-
hil illa remiſit : *necdum* , ait , *me conjugem, ſed
famulam obtuli. Sin uxor tua , quod tecum ſpero ,
ſuperſtes adhuc vivit , ſicq; latus patriæ leges negant ,
ſaltem ad pedes patere.* Crevit inter ſermones
utrinq; amor, & facilè annuit captivus, cui
præmium libertatis oblatum , quod
fortius amorem traxit. Unum quod mo-
rabatur , timor erat , ne ex fugâ retrahe-
rentur , & hæc temeritas crudeliſſimâ
morte plecteretur , ſed cum illa fugæ
dolum

dolum explicaſſet, tandem has in leges conventum eſt: liberaret regia Virgo captivum, liber in fugæ ſociam Virginem aſſumeret, hæc itineris neceſſitatibus gemmis ſuis, & auro ſubveniret, atque cum Europam attigerint, ſacratiſſimo baptiſmatis fonte Mahumetiſmum ablueret, ſi Comitis Uxor mœrore, vel alio malo interim abſumpta ſit, vel contingat eam poſthac fatis concedere, Regia ſoboles in thorum adoptaretur, ſi verò Comitiſſa vivat, benignè ab ea cum Comite excipiatur, ſitque in caſtiſſimis utriuſque amoribus, nec unquam tanti beneficii memoria, quo conjuges ſibi invicem reſtituit, minuatur. Fefellit Regina vigiles, & ducto ex ergaſtulis captivo ceſſit fuga per terras, perque mare feliciter. Ventum Venetias, hîc literas ab uxore comes invenit, quas paſſim in orbem terrarum comitiſſa ſcripſerat, ut maritum quærerent. Vixit igitur uxor, nec triſte hoc nuncium Saracenæ fuit, ſed in patriam uſque & huc Erfurtum, ubi comites de Gleichen multum habitarunt, ſecuta; leges pacti fœderis utrinque ſanctiſſimè obſervatæ. Benignitatem Comitiſſæ, & amorem nulla unquam ſuſpicio, vel æmulatio, raro ſexûs exemplo, minuit. Aliter ab aliis nonnihil hæc narrantur, quaſi comes accepto Venetiis nuncio de vita conjugis, Romam cum Saracena profectus, ibidem duarum uxorum habendarum licentiam à

Pontifice impetrârit, in cujus rei fidem ſpondam ſatis amplam in arce Gleichen monſtrant, in qua duas inter uxores comes dormiverit. Solam tamen Comitiſſam fuiſſe fœcundam fatentur. Sed cui nota legum in hoc genere ſeveritas, & Romanæ curiæ ſtylus, fabulam hanc eſſe ex vulgi detractionibus ortam, qui tanti amoris caſtitatem non cepit, facilè intelliget. Si te vincit ſuſpicio, concubina fuerit, certè Pontifex in lege Dei non diſpenſavit. Sepulchrum tamen commune his tribus ceſſit, viſiturque hodiedum ſepulchrale eorum monumentum in monaſterii S. Petri Eccleſiâ, ubi poſt altare, quod in medio templi erectum eſt, ad altitudinem quatuor pedum exſurgit, atque imagines eorum lapidi inciſas hoc ordine exhibet, ut comes in medio, comitiſſa à dexteris, Regina capite coronato à ſiniſtris jaceat. Fuit comitiſſa ex veteri comitum de Kefernburg proſapiâ.

XIX. *Dominicani Erfurtum veniunt.*

Dum hæc ita contingerent, † Dominicani, (a) quos Prædicatores vocant, Erfurtum venerunt. Habuit comes de Honſtein amplam hîc loci domum, hanc noviter advenientibus monachis donat, cui illi monaſterium cum magnifica æde ſubſtituunt.

* MCCXXXI. *Mors S. Eliſabethæ.*

* Eliſabetha ſancta illa Thuringiæ † & Haſſiæ Landgravia, Patrona pauperum, XIX. Novembris moritur.

XX.

Interim propter Bella Saracenica, alias-

(a) MS. Bibl. cæſ. Vindobon. & MS. Erfurt.